

1306-1306- OFP - Acta Capitulorum Generalium Parisius Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Acta capituli generalis Parisius celebrati
anno Domini · M° · CCC° · VI° ·

Confirmamus has constituciones. In capitulo de studentibus, ubi dicitur: seculares sciencias non addiscant, post illud: vel prior provincialis, addatur: vel capitulum provinciale. Et hec habet · iii · capitula.

Item hanc. In capitulo de solemanni celebrazione capituli, ubi dicitur: necessitate vero urgente, magister ordinis etc. in fine addatur et dicatur sic: quod si in eadem provincia commode celebrari non valeat eodem anno capitulum generale, magister ordinis vel eius vices gerens, ipso mortuo vel amoto, generale capitulum ad aliam provinciam mutare poterit, si expediens iudicaverit de fratum consilio discretorum. Et hec habet · iii · capitula.

Item hanc. In capitulo de silencio, ubi dicitur: omnes fratres intus et extra etc. post illud: et tunc ipse taceat, addatur: exceptis magistris in theologia; prior tamen conventionalis possit licenciare unum de secum comedentibus ad loquendum. Si vero plures priores conventionales simul comedere contigerit, prior antiquioris conventus loquatur, et uni loquendi licenciam dare possit. Et hec habet · iii · capitula.

Item hanc. In ordinario in rubrica de turificatione, ubi dicitur: si epdomadarius vel aliquis prelatus etc. post illud: capa serica, addatur: excepto dumtaxat dum magister ordinis vel prior provincialis fuerit in dextro choro, tunc enim ille, qui facit officium, ipsis deferens, ad sedem subprioris transeat in sinistrum. Et hec habet · iii · capitula.

Iste sunt approbaciones.

Aprobamus hanc. In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: vices provincialis in omnibus obtineat, addatur: idem dicimus, si generale capitulum contingat ad aliam provinciam transferri, videlicet quod auctoritas vicarie ad provinciale illius provincie cum capitulo transferatur. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc. In capitulo de electione magistri, ubi dicitur: statuimus, ut si ante festum sancti Michaelis, addatur: vel in ipso festo. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc, quod fiant tres lectiones de s. Alexio · xvi · kalendas augusti, et magister ordinis curet de officio providere. Et hec habet · ii · capitula.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc. In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: predicatores autem generales dicimus etc. deleatur quod sequitur usque ibi: quos instituendi, et dicatur sic: qui de communi consensu provincialis et omnium diffinitorum provincialis capituli, nemine discrepante, fuerint instituti.

Item hanc. In capitulo de electione magistri, ubi dicitur: si autem post dictum festum etc. deleatur totum usque ibi: mortuo igitur magistro, et dicatur sic: si autem inter festum s. Michaelis et festum resurrectionis magister decesserit vel ipsum amoveri contigerit, ipsius obitus vel amocio nichilominus nuncietur, ut supersedeatur illo anno a capitulo generali. Si autem ipso festo resurrectionis vel post usque ad terciam feriam post festum trinitatis exclusive magistrum mori vel amoveri contigerit, nichilominus illo anno per diffinidores in anno diffinitorum vel per provinciales in anno provincialium capitulum celebretur cum vicario ordinis, si sit presens; si autem vicarium aliquo casu abesse contigerit, unus de diffinitoribus presentis capituli vel provincialibus a maiori parte eorum in vicarium ordinis assumatur, qui vices magistri obtineat secundum formam, que infra in capitulo de generali capitulo est expressa.

Item hanc. In eodem capitulo, ubi dicitur: hoc autem ita fiat, ut semper in secunda feria etc. post illud: presentem vel absentem, addatur: quando in illo capitulo est magistri electio celebranda.

Item hanc. In eodem capitulo, ubi dicitur: mortuo magistro vel a magisterio amoto, post illud: quounque magister sit electus, addatur: si in ipso capitulo debuerit magistri electio celebrari. Si autem in ipso capitulo non fuerit magistri electio facienda, terminato capitulo, tam in anno diffinitorum quam in anno provincialium, vicarii auctoritas expiret et prior provincialis provincie, ubi sequens capitulum fuerit celebrandum, vices magistri in omnibus obtineat.

Item. In capitulo de apostatis, in fine addatur: quicumque literas magistri ordinis vel priorum provincialium vel sigilla eorumdem falsificaverit, eamdem incurrat excommunicacionis sentenciam ipso facto.

Item hanc. In ordinario in rubrica ad memoriam faciendam de b. virgine etc. ponatur in principio: per totum annum fiat memoria de b. virgine in vesperis per antiphonam: Regali ex progenie, versum: Ora pro nobis, collecta: Protege. In matutinis vero per antiphonam: Sub tuum, versum: Post partum, et oracionem predictam ante memoriam de b. Dominico diebus, quibus memoria de b. Dominico fieri consuevit, et infra octavas exceptis diebus, quibus secundum ordinarium de ea festum vel memoria sunt agenda.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Ordinamus et volumus, quod nullus lector sine licencia magistri vel prioris provincialis vel eius vicarii aut diffinitorum de quolibet audeat disputare, nisi ubi fratrum vel secularium viget studium generale.

Item. Cum circa studium sit cura diligens adhibenda, mandamus, quod ordinaciones de studiis et provisione facienda studentibus et duobus principalibus lectoribus non ponendis in uno conventu, necnon de dandis vestibus et procurandis infirmis facte in capitulo Ianue celebrato in suo vigore permaneant et sub penis insertis ibidem cum exacta diligencia observentur, hoc excepto, quod studentes tam arcium quam naturalium teneantur ire ad scolas theologie, ubi in diversis conventibus et provinciis extiterit hactenus observatum1.

Item. Quia circa profectum iuvenum studencium est sollicite vigilandum, ut ipsi tanto amplius in scientia et religione proficiant, quanto eis subtracta fuerit materia discurrendi, volumus et mandamus, quod studentes huiusmodi a conventibus, quibus pro studio assignati fuerint, non recedant sine causa necessaria et urgente ac expressa licencia, donec in provinciali capitulo de eis fuerit aliter ordinatum.

Item. Cum ex diversitate cantus multa deformitas appareat, quod quidem regule nostre manifestius repugnat, districte prohibemus, ne in conventibus nostris in choro cantetur quippiam vel legatur, nisi quod legendum fuerit vel cantandum secundum nostri ordinis instituta.

Item. Cum ex inordinato habitu conversorum multa in diversis provinciis sint merito punienda, districte iniungimus prioribus universis ac eorum vicariis et maxime Theutonie et Saxonie, de quibus super hoc magnam querelam recepimus et clamorem, quod usque ad festum instans purificacionis secundum constitutionis tenorem eorumdem habitum corrigi et reformari faciant cum effectu, alioquin absque omni dispensacione tam priores quam eorum vicarii duabus diebus ieunent in pane et aqua in singulis septimanis, quounque predicta duxerint corrigenda.

Item. Cum in diversis provinciis sint predicatores generales in nimis notabili numero instituti, mandamus et imponimus prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium huius anni, quod in isto anno predicatores generales non faciant; teneantur autem iidem provinciales vel eorum socii numerum generalium predictorum de suis provinciis deferre ad sequens capitulum generale.

Item. Cum, sicut intelligimus ex diversarum provinciarum querelis, in ponendis collectis et pecuniarum exactionibus nonnulli conventus in diversis provinciis sint gravati, huiusmodi collectas de cetero fieri prohibemus; ut tamen necessitatibus tam studencium quam aliorum negotiorum, que provincialatus incumbunt officio, possit commodius provideri, concedit magister ordinis de diffinitorum consilio ac assensu, quod ad provinciales singulos in suis provinciis cuiuslibet fratraris decendentis unum volumen melius, quod habuit, pertineat, ipso facto. De quibus receptis expensis teneantur in suis provincialibus capitulis reddere rationem, nisi aliquis casus novus et urgens emerserit in aliqua provincia, propter quem provisionem ampliorem necessario fieri oporteret.

Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, quod nullus frater vadat ad curiam Romanam sine sua licencia speciali; poterit tamen provincialis quilibet duos fratres de sua provincia mittere ad dictam curiam pro negociis sue provincie procurandis.

Item. Cum prelatorum crebrius indigeamus gratia et favore, volumus et iniungimus fratribus universis, quod tam ad prelatos quam ad rectores ecclesiarum se habeant reverenter, cavendo summopere ab hiis, que ipsis possent turbacionis et displicencie materiam ministrare. Provinciales autem seu eorum vicarii aut visitatores puniant, si quos invenerint contrarium facientes.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Francie, Anglie, Lombardie inferioris, Sicilie.

Conventuales: Metensem, Verdunensem, Divionensem etc. Et hii priores hoc anno absoluti in eisdem provinciis et conventibus nullatenus resumantur.

Facimus et instituimus in provincia Lombardie inferioris vicarium fr. Franciscum priorem Ariminensem, qui in dicta provincia vices prioris provincialis obtineat, donec prior provincialis sit ibi electus et confirmatus et in provincia extiterit presens.

Iste sunt penitencie.

Denunciamus omnes fratres, qui ad presens generale capitulum absque licencia venerunt ex ordinacione precedentis immediate capituli generalis per biennium omni voce privatos; quam ordinacionem volumus sequenti anno firmiter observari1.

Item. Omnibus prioribus provincialibus, qui suis neglexerunt provincie providere studentibus iuxta ordinacionem capituli precedentis, iniungimus tres dies in pane et aqua et tres missas2.

Item. Fratribus conventus Bituricensis, qui scripserunt conventui Aurelianensi, ne reciparetur novicius nobilis, et eciam graciosus in favorem secularium personarum, iniungimus tres dies in pane et aqua et totidem letanias.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre ac domino nostro summo pontifice et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos · vii · missas et quilibet conventus · i · de b. virgine.

Pro venerabilibus patribus dominis cardinalibus domino Nicholao Hostiensi et Velle trensi episcopo,¹ domino Thoma tituli s. Sabine presbitero cardinali¹, et domino Nicholao tituli Eusebii presbitero cardinali² quilibet sacerdos · iv · missas, et quilibet conventus · i · de b. Dominico etc.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro venerabilibus patribus domino Galtero ordinis nostri³ et domino Matheo Rubeo⁴ cardinalibus quilibet sacerdos · iii · missas.

Pro domino Philippo, quondam rege Francie, domina Margarita matre eiusdem.

Pro domina Iohanna, quondam regina Francie, quilibet sacerdos · iii · missas.

Pro domino Iohanne et Hugone, quondam Ierusalem et Cypri regibus, quilibet sacerdos · ii · missas etc.

Pro fratribus nostris et sororibus, parentibus, familiaribus, benefactoribus et receptis ad beneficia ordinis per litteras quilibet sacerdos · iii · missas.

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos · vii · psalmos cum letania et quilibet conversus · c · pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Letania in profestis diebus quadragesime cum psalmis, versiculis et oracionibus consuetis ab omnibus tam intus quam extra dicatur, et fiat memoria de b. virgine in vesperis et matutinis secundum modum, qui inchoacione superius continetur.

Sciant fratres, quod socius diffinitoris Ungarie vadens ad capitulum preteritum Ianuense mortuus est in via.

Volumus et mandamus, quod diffinitores anni presentis et futuri caritative recipientur in conventibus et iuxta laborum eorum exigiam procurentur.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalareis ordinet et disponat, prout generali utilitati et promocióni studiorum viderit expedire.

Sentencias iudicium approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus in Argentina in provincia Theutonie, ordinantes, quod provinciales ad locum capituli dominica infra octavas ascensionis domini veniant.

Nullus autem aliis, eciam si licenciam habeat, locum intret capituli aut se in monasteriis recipiat vel pernoctet ante · vi · feriam penthecosten precedentem.

In festo sancti Ludovici confessoris.

Lectio · ia · Beatus Ludovicus, rex Francorum magnificus, patrem habuit christianissimum regem Ludovicum, qui in finibus regni sui scilicet in Albigesio et comitatu Tholosano virtuose debellavit hereticos et hereses extirpavit. Habuit et matrem, Blanciam nomine, regis Castelle filiam, perpetua memoria dignam, que puerum sancte indolis Ludovicum, orbatum patre, tenerrime diligens, sub specialis cura magistri et consilio religiosorum, maxime ordinis fratrum predicatorum, moribus et sciencie literarum tradidit imbuendum.

Lectio · iia · Puer autem ingeniosus et sortitus animam bonam supra coetaneos suos profecit laudabiliter in utrisque. Cuius sanctitati congaudens pia mater pluries dicebat eidem: Plus vellem te, karissime fili, temporalem mortem incurrire, quam per aliquod peccatum mortale tuum offendere creatorem. Quod verbum devotus filius in suo animo sic firmavit, quod divina se conservante gracia, numquam sensisse lethalis criminis contagium perhibetur.

Lectio · iiiia · Demum providencia matris ac procerum, ne tam nobile regnum successione careret, uxorem duxit filiam comitis Provincie Margaretam; ex qua susceptam sobolem generosam vir sanctus timere deum docuit et ab omni peccato iugiter abstinere. Serta quoque de rosis vel floribus seu alias

¹ Fr. Thomas Iorz Londiniensis, dictus “Anglicus”, confessor Eduardi regis Angliae prom. 15 dec. 1305,† Gratianopoli 13 dec. 1310. EUBEL l.c.p. 13

² Fr. Nicolaus de Francaville (Freauville) prom. 1305 dec. 15; obiit 1323 ian. 15 (al. 14 febr.). EUBEL l.c.p. 13.

³ De fr. Gualtero cf. supra p. 14. De ffr. Gualtero, Thoma, Nicolao Trivetus noster tradit: Papa Benedictus intellecta morte fratris Willelmi de Makaelsfelde (!) fr. Walterum de Winterburne similiter Ordinis Praedicatorum, Regis Angliae confessorem, Saresberiensis dioecesis ad eundem titulum (scil. s. Sabinae) Cardinalatus promovit Frater Walterus de Winterburne nuper ad Cardinalatum assumptus tendendo cum aliis Cardinalibus in Galliam, moritur apud Ianuam, et in Ecclesia Fratrum Praedicatorum traditur sepulturae. Papa ante natale unam ordinationem faciens, creavit duodecim cardinales, inter quos de Ordine Fratrum Praedicatorum Frater Thomas de Iorz, Doctor sacrae Theologiae, natione Anglicus, tituli s. Sabinae, et Nicolaus de Fravilla (!) confessor Regis Francorum, natione Normandus, tituli S. Eusebii efficiuntur Presbyteri Cardinales. D'ACHERY l.c.p. 229 sq.

⁴ Matthaeus Rubeus Ursinus diac. s. Mariae in porticu prom. mense dec. 1262; obiit 1305 sept. 4. EUBEL l.c.p. 8.

capellos eos portare potissime in . vi . feriis prohibebat, propter coronam domini spineam tali die impositam capiti salvatoris.

Lectio · iva · Sciens quoque rex devotus, quod caro concupiscit adversus spiritum, corpus suum multiplici castigacione in servicio spiritus redigebat: cilicio ad carnem tempore multo utens, omni tempore sextas ferias ieunabat, in adventu vero et quadragesima hiis diebus a piscibus et fructibus abstinent, vigiliis, laboribus, oracionibus, disciplinis nocturnis et aliis secretis exerciciis spiritualibus se non mediocriter affligebat.

Lectio · va · Omnium decor virtutum humilitas in eo adeo refulgebat, ut quanto maior erat, velut alter David tanto humilius se gerebat et coram deo in oculis suis vilior apparebat. Manus et pedes pauperum quolibet sabbato propriis manibus abluere consuevit. Certam eis summam pecunie tribuens eorum pedes et manus humiliiter osculari solebat. Pauperum multitudinem crebro et habundanter reficiebat reliquiasque ciborum, quas manus pauperum Christi contractaverant, reasportari sibi faciebat et de illis cum devocione mirabili comedebat. Scarleto, bruneto, seu viridi aut alia veste pomposa seu preciosa, vel pellibus variis aut nimis sumptuosis uti nolebat.

Lectio · via · Dilatacionem fidei christiane ferventi animo desiderans cum fratribus suis germanis, comitibus Atrebateni, Pictaviensi et Tholosano et Andegavensi, qui post extit rex Cicilie, ac maioribus regni sui et copiosa multitudine militari ad transmarinas partes devotus transiit, ubi in Egypto, Syria et locis aliis Palestine pro fidei negotiis diucius mansit, sed et fortalicia et presidia contra paganos construxit, plurima gravia pertulit. In qua terra, deo permittente, captivatus fuit. Sed ille, qui in temptationibus facit proventum, de captivitate ipsum et suum exercitum mirabiliter liberavit. Christianorum corpora ab infidelibus occisorum, quorum vix fetorem sui ferre poterant, propriis manibus recollegit et tradidit ecclesiastice sepulture.

Lectio · viii · Defuncta itaque matre, postquam per quinque annos in Terra sancta moram traxerat, de baronum suorum consilio redire in Franciam acquievit. Et ex tunc fervencius de virtute in virtutem proficiens, quando veniebat Parisius vel ad alias civitates, hospitales domos, in quibus magna multitudo infirmorum iacebat, misericorditer visitans nullius infirmi deformitatem vel immundicias abhominans, ipsis pluries flexis genibus cibaria ministrabat. Unde et in abbacia Regalis montis Cisterciensis ordinis cuidam monacho leproso, Leodegario nomine, abhominabili et horribili iam effecto, ut pote naso et oculis dicti morbi corrosione privato, rex sanctus curvatis genibus cibum et potum in os eius mittendo humiliiter ministravit.

Lectio · viiiia · Opprobria christiane fidei audire non poterat, sed zelans zelum dei tanquam Phines graviter puniebat. Unde quemdam civem Parisius, qui turpiter iurando Christum blasphemaverat, iuxta suum statutum, quod fecerat, candenti ferro in labiis stigmatizari seu cauterizari fecit. Cumque audiret propter hoc nonnullos in se maledictum congerere: “vellem, inquit, quamdiu vixero talem indecenciam in meis labiis sustinere, dummodo istud vicium iuracionis pessimum de regno meo penitus tolleretur”. In ecclesia vero, dum celebrarentur divina, nullius colloquium admittebat, nisi urgens necessitas ac evidens utilitas appareret. In oracionibus vero suis lacrimas plurimum siciebat, et quandoque confessori suo familiariter recognovit, quod aliquando in oracione deus lacrymas sibi dedit. Quas cum sentiret per genas in os defluere, non solum cordi, sed et ori dulcissime sapiebant. Insuper ad abolendam voraginem usurarum statuit, ut obligatos per literas iudeis aut publicis usurariis nullus iusticiarius compelleret ad solvendum.

Lectio · ixa · Signaculum sancte crucis in summa reverencia habens et haberi cupiens, ne a se vel ab aliis calcaretur, de lapidibus sepulcrorum in terra positorum deleri procurabat. Causas pauperum et querelas ad minus bis in ebdomada, in loco patenti se ponens, personaliter audiebat, et tam iuste quam misericorditer expedire celeriter faciebat. Duella fieri non sustinuit, in revocando discordes ad concordiam specialem graciam dominus sibi dedit. Tandem post multorum annorum curricula volens in Terram sanctam iterum proficisci, Carthaginem iuxta Tunisium applicuit, ubi post aliquantulum temporis correptus febre continua, invalesce morbo, susceptis omnibus cum summa reverencia ecclesiasticis sacramentis, super lectum cinereum in modum crucis extensus, verba proferens ultima psalmi: In manus tuas, domine, commendo spiritum meum, et: Esto, domine, plebi tue sanctificator et custos, hora nona anno domini · m · cc · lxx · migravit ad Christum. Post cuius transitum eius meritis miracula dominus multa fecit, cecis visum, surdis auditum, claudis gressum restituens et morborum plurimorum sanitatem eius patrocinio omnipotens multis dedit.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LVIII.